



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ
Paderbornensis**

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. II. De Professione Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013

T I T U L U S II.

De Professione Fidei.

I.

NON satis est ad salutem, interius credere, sed præterea necesse fidem exterius profiteri: corde enim creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem; hinc Propheta Regius, credidi propter quod locutus sum.

2. Ad hujusmodi professionem animo omnes prompti esse debemus: actu autem & re ipsa edent, quotquot in Dicefisi Nostra ad dignitates, Canonicatus in Cathedrali & Collegiatis Ecclesijs, ad beneficia curata & quæcunque alia promoventur, superiores Regulares, qui ad Doctoratum, Licentiam & alios gradus Academicos aspirant, Lectores, Confessarij, Concionatores, Magistratus, Medici, Ludimagistri, Obstetrics, & quicunque Catholicæ Ecclesiæ reconciliati cupiunt.

3. Ex his provisi de dignatibus, quarum Confirmatio ad Nos spectat, & de curatis beneficijs coram Nobis aut Vicario nostro Generali aut Archidiaconis ubi eisdem Jus Investituræ competit; de alijs dignitatibus & Canonicatibus, beneficijs, Vicarijs in Cathedrali & Collegiatis in manibus Decani & Capituli ejusdem Ecclesiæ, Regulares coram suis Superioribus, Ludimagistri autem & Obstetrics ex commissione Archidiaconorum coram Parochis.

4. Facienda autem erit professio in templo, Capitulo aut alio loco decenti super Altari vel Mensa cum Imagine Sanctissimi Crucifixi, Missali vel libro Evangeliorum aperto, cereis duobus accensis & præsentibus aliquot testibus; Recipiens professionem sit induitus stolâ & superpelliceo in sede collocatus, legentem diligenter audiat, aut si legere non possit, distinctè prælegat, & factam professionem notet.

5. Et si professio fidei non semper obliget, nunquam tamen aut veram negare fidem, aut simulare alienam licitum, unde meminerint, & moneantur Catholici, dum Acatholicorum terras peragrant, præcepta Ecclesiæ de observantia Jejuniorum non violare.

T I T U L U S III.

De Prædicatione verbi divini.

I.

UT verbi Dei prædicatio, quod est vitæ spiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, incrementum accipiat, & ubiores in singulos dies pœnitentiæ fructus in fidelì populo ferat, statuimus:

2. Ut Concionatores gravitatem peccatorum pœnarumque inde provenientium describant, virtutis amorem omnibus instillent, præcepta Dei & Ecclesiæ modumque ea servandi proponant.

3. Abstineat Concionator, ostendendæ doctrinæ vel eloquentiæ causâ ab inanibus & difficilibus captumque auditorum supererantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæstionibus, unde sui ipsius potius, quam Jesu Christi Prædicator esse videatur.

4. Ne auditoribus tœedium creetur, Concionator dictione suâ medium horam aut tres quadrantes non excedat.

5. Nemo aniles fabulas, nemo scommata, nemo sales ac Jocos, nemo incertas atque Apocryphas historias, aut suspecta jure miracula pro suggestu recenseat.

6. Cum per scommata & convitia Acatholicorum animi magis exasperentur, ab ijs Concionatores abstinenre contra verò dogma aliquod Catholicum frequenter solidis argumentis confirmare contrariumque errorem nervosè refutare mandamus.

TITU-